



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

Punctum II. de dignitate Sacerdotali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

*Colloquium ad Iesum Eucharisticum*

**O** Jesu amantissime, per infinitam charitatem tuam, quâ tantam mihi preteritatem conferre dignatus es, obsecro continuam tantæ dignationis tuæ memoriam in me excita, summamque æstimationem elargire, ut iisdem ad cœlestia hæc mysteria debitè peragenda, clarissimaque virtutum tuarum specimina imitanda succendar. Amen.

Punctum II. de dignitate Sacerdotali.

**C**onsidera quanta sit sacerdotum dignitas: est enim 1. major excellentiâ regiâ, quæ mundana solum & terrena est, illa verò spiritualis & cœlestis. *Quantum aurum superat plumbum, tantum sacerdotalis dignitas regiam excelsit, (inquit S. Ambros lib. de dign sacerdotum cum videas Regum & Principum colla submitti genibus sacerdotum: 2. Prestantior est sacerdotio veteri, quod oves & ves immolabat, non ipsum agnum immolatum, Dei filium. 3. Nobilior est Patre*

arch

archarum & Prophetarum functionibus, quibus nec absolvendi, nec consecrandi potestas concessa unquam fuit. 4. Sublimior est Ioannis Baptista dignitate, qui baptizando semel Christi verticem tetigit, semel agnum Dei digito demonstravit: Sacerdotes verò nove legis toties eum demonstrant, tangunt, elevant, sumunt. 5. Excellentior denique est, Angelicâ, qui sidera & cœlos movent, Sacerdos verò siderum & cœlorum conditor; ideoque Angelus Domini exercituum nominatur. Malach. 2. Denique ipsius Christi Domini personam sustinet, ejus vestimenta gerit, ejus nomine & autoritate pronuntiat: Ego te absolvo. Hoc est Corpus meum.

*Affectus admirationis, exhortationis, pudoris.*

**O** Veneranda Sacerdotum dignitas! in quorum manibus velut in utero Virginis Dei Filius incarnatur! O sacrum & cœleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus S. operatur! uno eodemque momento, idem Deus, qui præsidet in cœlis, in manibus vestris est in

in Sacramento Altaris. O Venerabilis  
 sanctitudo manuum! ô felix exercitium!  
 ô verè mundi gaudium! Christus tractat  
 Christum, id est Sacerdos Dei Filium,  
 cujus deliciae sunt esse cum Filiis homi-  
 num; & quod datum non est Angelis,  
 concessum est homini. Sacerdos enim  
 hoc ineffabile conficit mysterium, & An-  
 geli conficienti sibi quasi famuli assistunt.  
 Super hoc tam insigni privilegio, stupet  
 coelum, miratur terra, veretur homo,  
 horret infernus, contremiscit Diabolus,  
 & veneratur quàm plurimum Angelica  
 celsitudo, S. August. vel potius Joan.  
 Betsius in 4. Decal. præcept.

Verùm ô anime mi! an non par esset  
 vitam & mores tuos dignitati tantæ re-  
 spondere? ne sit honor sublimis, & vita  
 difformis, Deifica professio, & illicita  
 actio! Si turpe est, Regem abjecto scep-  
 tro & diademate stabularium agere, aut  
 more brutorum vivere; quæ turpitude  
 erit, sacerdotio regali insignitum vitam  
 degenerem instituere, aut inter pocula  
 belluino more versari? An non æquum  
 foret, te Patriarcharum fidem, Prophe-

tarum

rarum spem, Præcursoris Domini temperantiam, puritatem Angelicam, denique ipsiusmet Salvatoris, vitam, mores, virtutes pro viribus imitari contendere? Hoc si neglexisti, pudore suffundere: qui alios mundasti, forsitan immundus ipse, alios sanctificasti, forsitan profanus ipse, aliis viam salutis ostendisti, aberrans ipse Pastor & idolum; abominatio in loco sancto.

*Colloquium & petitio ad Christum.*

**O** Rex Regum & Domine Dominantium, qui me ad præcellam regiamque Presbyterii dignitatem evexisti, concede ut vitam eo munere dignam instituum, Regis instar omnibus vitiis & passionibus meis dominer; Sacerdotum antiquorum, Patriarcharum, Prophetarum & Angelorum sanctitatem & veritatem æmuler, personamque tuam ita sustineam, tanque perfectis moribus exornem, ut omnes videntes laudent & glorificent Deum, qui dedit talem potestatem & dignitatem hominibus.

PUNIC.